





QK.255

Zc
4357

X 2054443

ARCANA LITERARIA

& alios

XXX LIBROS

edendos

MYSIS CONSECRAT

datoque Specimine

proponit

V. E. LOESCHERVS.

MDCC.





ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.



Discenda in Parnasso causa erat, fastus, an nefastus dies fuerit, haud scio, nec mea multum refert. Comparui tamen, nec Musarum auctoritatem praedudicio alieni fori defugere ausus sum: Hic nescio quem incondita Stentoreaque vocis nactus sum adversarium: Zoilum vocabant, omnium Parnassi incolarum impudentissimum. Num is fuerit, in quem vulgo tot convitia ingeruntur, mihi non satis constat. Equidem furiose audax videbatur, praeterea turpi invidia turgens & Pisoniano vitio mire distentus. Crimini mihi dicebatur, quod aliquot abhinc annis multa Musis pollicitus fuerim, nova & inedita me in lucem emissurum, nunc vero profugus ex ipsarum castris, praeter ea curem & prodesertis habeam. Deus bone! arguebat me, quantum dedecus & quam indignum facinus, Musas capere, factoque ex ipsarum sacris mangonio, famam, vel aliorum gratiam aucupari! Vestram fidem, iudices, ut totus me differor, cum ejusmodi homines, conquiritis inanibus nominum titulis superbire, suisque subventaneis ovis gloriari video! Adeo enim crescit hoc vitium, ut jam integri catalogi istorum hominum, qui vana polliciti sunt sub titulis Bibliothecarum promissarum prostant, (en vobis hujus farinae scriptum Almeloventianum) imo jam supplementa earum scripta sint, (en vobis eorum exemplar) & plura quotidie haud magno negotio scribi possint. Quaeso vos, iudices, ut huic proterviae digno supplicio medeamini. Ego vero



vero miratus convitii acerbitatem, me nec a Musarum parti-
bus defecisse, nec fefellisse ipsas vanis pollicitationibus, nec
aucupari talibus artificiis famam, aut quæstum facere, confiden-
ter ac ingenue asseverabam. Ista vero, quæ promiseram, me
vel hodie soluturum, si per me staret; nosse vero iudices, no-
stros labores Bibliopolarum arbitrio stare pariter & jacere. At-
que ut adversario κατὰ τὸ βίβλον responderem obtuli Musis ca-
talogum sequentem, scriptorum vel in Academia, vel in munere
sacro, quo fungor, vel elaboratorum, vel tamen affectorum, quæ
si quis sumtus ferat propediem lucem videre possint.

I.

ARCANA LITERARIA.



Onstat hoc opus VIII. partibus, quarum prima τῶν
Θεῶν, vel singularia & vere *admiranda*, cujuslibet
disciplinæ, sive ad Philosophiam illa, sive ad Philo-
logiam, aut Historiam spectaverit, edifferet; secun-
da *Data* cujuslibet disciplinæ, sive quæ in illa omni
dubio carent, & a quibuslibet ejus consultis recipiuntur tradet;
tertia *fabulosa* cujuslibet disciplinæ ac manifeste falsa, candide
proponet; quarta *dubia* cujusvis disciplinæ, eaque omnium
gravissima proferet; quinta omnium artium *imperscrutabilia*, &
quæ nullo pacto solvi possunt, sexta denique earundem *ludicra*,
jocosa, sales & elegantias explanabit. Septima *rarissimos libros*
& vix decimo eruditorum cognitos, aut visos in compendium
redactos cum brevi censura exhibebit; denique octava *Myste-
ria* five initia & occultissima quævis Theologiæ & Mythologiæ
veterum Græcorum & Romanorum, Sacra Cabirorum, matris
Deum, Sabazia, Bacchica, Taurobolia, Θεουισμὸς, Orgia & simi-
lia explicabit.



II.
PANDECTÆ ERUDITIONIS
INFERIORIS.

HOc opus in tres partes dividitur, quibus omnis eruditio inferior ac humanior summatim continetur. Prima continet disciplinas *Philosophicas*, nempe Philosophiam generalem & præviam, Historiam Philosophicam, Logicam cum XV. filiis (videlicet arte Apodictica, Topica, Sophistica, definiendi, distinguendi, Methodica, Analytica, Hermenevtica, Critica, Mnemonica, inveniendi, disputandi, docendi, excerpenti & libros conscribendi) Metaphysicam, Pnevumaticam, Physicam, cum tribus gnatis (Chymia, Physiognomia & Magia naturali, Mathesin, ejusque XXII. disciplinas (Protomathesin Logisticam, Arithmeticam quadruplicem, Geometriam theoreticam & practicam, Cosmographiam, Astronomiam, Astrologiam, Opticam, Musicam, Mechanicam, Pyrobolicam, Pnevumaticam, Staticam, Computisticam, Architectonicam civilem, militarem, Gnomonicam & Tacticam,) Ethicam, Politicam, Oeconomicam & Homileticam. In secunda parte obveniunt disciplinæ *Historicæ*, nempe Historia generalis, Ecclesiastica, Civilis, Erudita, Biographia, Geographia curiosa, Antiquaria, Genealogia & Heraldica. In parte tertia tractantur disciplinæ *Philologicæ*, nimirum Philologia generalis, Historia literaria, Grammatica, (cum filia Cryptographia,) Rhetorica, cum filiis (Arte argutiarum, Emblematum, Inscriptio- num, epistolarum, ænigmatum & facetiarum, Poëtica, Mythologia, Masora & Cabbala, notitia librorum & studium styli.

Sed cum hæc omnia saltem summatim, etsi sufficienter, & nullo veterum vel recentiorum invento, aut doctrina utili temere prætermissa, tractata sint, placuit in VI. eius particulas peculiaribus libris insequentibus prolixius commentari.

III. PHI.

III.

PHILOSOPHIA GENERALIS.

QUam alii Præcognitorum Philosophicorum titulo exponerent, ea continet, quæ alii suis, Hexiologiis, Gnostologiis, Noologiis & Archelogiis tradere voluerunt, nempe veram Philosophandi rationem. Ubi occurrunt prolixæ commentationes, *de triplici Modo cognoscendi, Ideis, causis omnium errorum, Proverbiis Philosophicis, de irrationalitate plerorumque hominum, de rariis & admirandis rationis Phenomenis, quæ aliquando sub titulo Historia Rationis separatim edere constitueram.* Adjecta etiam est censura eorum, quæ *Arnaldus, Clericus, Thomafius, Lüttichavius, Malebranchius* alique in hoc doctrinæ capite ediderunt.

IV.

HISTORIA PHILOSOPHICA
RECENTIOR.

HÆc nondum ab ullo juste conscripta, ex omnium sectarum libris studiose collecta est, & comprehendit non solum Historiam, sed & hypotheses, ac errores & censuram Philosophiæ, *Paracelsistica, Ramistica, Cardani, Agrippæ, Nic. Taurelli, Cartesianorum, Gassendianorum, Hobbianorum, Spinoße, Malebranchii & aliorum.*

V.

HEVRETICE.

SIve *artis inveniendi principia*, ex analyticis præsertim & combinatoriis regulis tradita parte prima, quibus parte secunda exempla quorumlibet novorum inventorum hujus sæculi, & adhuc inveniendorum subnexa sunt.

VI.

SYSTEMA ANTIQVARIUM.

Diu ac frustra desideratum opus, post præcognita, in quibus de genio, partitione & periodis antiquitatum ac de de claris Antiquariis agitur, VI. partibus absolvitur. Prima *numos* quorumque populorum & cujusvis generis confiderat, altera *Inscriptiones*, earumque notas, donaria & tabulas votivas, tertia *ritus* sacros, civiles, literarios, militares & domesticos omnium gentium, quarta *reliquias* veterum, quas habemus, nempe monumenta, videlicet, gemmas, statuas, torevmata, opera musica, pyramides, obeliscos Arcus triumphales, rudera ædium, atque instrumenta, scilicet, aras, lituos, fistra, coronas scepra, suppellectilem, arma, vestes &c. quinta *res antiquas*, quarum rudera non exstant, ut templum Hierosolymitanum, Ephesinum, idola &c. sexta denique, ea, quæ cum nostris comparari debent, ut mensuras, pondera &c. contemplatur.

VII.

PANDECTAE GENEALOGICAE.

Longè ampliores ac castigatiores, quam a Reineccio, aut alio ullo sunt datæ, veteres & novas, easque parum notas familias recensentes; ubi invenias *Dissertationes* ampliores de Familia *Claudia*, *Flavia*, & *familiis eruditis*.

VIII.

HISTORIA LITERARIA.

Hoc opus diu desideravimus, doctissimo Lambecio saltem rudimenta ejus & incia nobis dante: ego, ut potui, ad nostram vsque ætatem omnium seculorum genium literarium, inventa, Doctos, omnium artium fata, & quæ præterea ad hoc institutum spectant, omni studio interpretatus sum, adjecique rariora, *Historiam Philosophiæ Scholasticæ* a seculo usque duodecimo, *Historiam literarum* Sec. XIV. & XV. *renascentium*, *Germaniam eruditam* eo tempore, cum *Lutherus* sacra *repurgare*

gare inciperet, *Dissertationes de Poëtis Theologis, Rabbinis recentioribus, Restitutoribus auctorum classicorum, scriptoribus supplementorum, doctis sycophantis, qui antiquis tot libros supposuerunt, & hujus generis alia.*

IX.

NOTITIA LIBRORVM VNI-
VERSALIS.

NOva & ampliori methodo conscripta, in partes divisa IV, quarum prima scriptores classicos Hebræos, Græcos, Latinos, Arabes ab initio mundi usque ad seculum XII, ordine Chronologico, præterea *αρχαίους* & suppositos percenset: secunda libros ad quamlibet disciplinam spectantes, tertia libros rariores, bonos ac malos atheisticos, obscenos, paradoxos, satyricos enumerat, quartæ denique miscellanea varia, v. g. *Scholiastas Glossatores & Glossaria, scriptores nauticos, Rustica rei, Hortulanos Ampelurgicos &c. Bibliographos nationum, & itinerariorum conditores* subjungit.

X.


NOCTES ANTIQVARIÆ.

Selecta antiquioris literaturæ continentes, v. g. *dissertationes de insignibus Græcorum ac Romanorum, de libertis Augustorum, de præfectis prætorio, de honore scæminarum in inscriptionibus, de officiis aula CNPolitana de Talismanibus, Historiam Britannici Cesaris ex numis & lapidibus.*

XI.

LEXICON ANTIQVARIVM.

Tres partes habet: in prima *Mythica* res & personæ Mythicæ aliæque, in numis lapidibus, aut quocunque alio antiquitatum genere extantes, in secunda *Geographica*, numi, lapides &c. ad quamlibet, gentem vel urbem pertinentes, in tertia, *Technica* vocabula artis ab Antiquariis circa numos & inscriptiones explicandas usitata notæ & difficiliora alia ordine
lite-



literarum continentur. Accedit *suppellex antiquaria*, five imagines armorum, clavium & aliarum rerum veterum ex ipsis monumentis collectæ æneisque figuris expressæ.

XII.

HISTORIA AVGVSTARVM.

Imperatricum Romanarum, & matrum sororumque ac aliarum Imperatoribus cognatarum memoriam ac vitas, ex numis, lapidibus & statuis tradit, multasque rariores, cum primis *Gynecæi Romani & mundi muliebris* antiquitates exponit.

XIII.

DISSERTATIONES DE VSV INSCRIPTIONVM IN THEOLOGIA.

Docent, quid Theologus illustranda fidei capita, five literas explicandas, & Historiam Ecclesiasticam confirmandam augendamque ex lapidibus veterum petere possit, consimili modo ac olim in *Exercitationibus de Usu Numorum veterum in Theologia editis* feci.

XIV.

ANTIQVITATES JOCOSÆ.

Animi gratia collectæ, numos ludicos inscriptiones ridiculas & alia veterum ad jocum spectantia undique conquisita proponunt.

XV.

HISTORIA BELLORVM LITERARIORVM.

In hoc libro *controversias privatas* quorumlibet doctorum ex ipsis libellis *Eristicis* collectas, iisque in compendium reductis, quid, quibusve argumentis & quomodo disputaverint, explanavi.

XVI. LE-

XVI.

LEXICON ERUDITORUM RE-
CENTIORUM.

DOctos, qui ab A. C. 1650, usque ad nostram ætatem in qua-
cunque orbis parte vixerunt, eorumque vitas, inventa &
scripta ordine literarum servato enarrat.

XVII.

LECTIONES HISTORIÆ SACRÆ.

Rariora multa ad Historiam Ecclesiasticam pertinentia, vi-
delicet *Historiam sectæ Karaiticæ* Dissertationem de CL. opi-
nionibus circa annum nati Christi, *Historiam VII. Ecclesiarum*
Apocalypticarum, *Notitiam Episcoporum primæ Ecclesiæ* *Exercitatio-*
nem de heresi Joannis Parvi & similia plura.

XVIII.

LECTIONES HISTORIÆ PROFANÆ.

Singularia & recondita civilis Historiæ capita complectuntur,
v. g. *Annales antediluvianos*, *Origines Regnorum & Rerumpublica-*
rum antiquissimarum. *Historiam Niniviticam & Parthicam*, *Respu-*
blicas Græciæ variores ab Emmio prætermittas, *Colonias Græcorum*,
tam Asiaticas, quam insulares & barbaras, *Res successorum Alexandri*
Magni, *Historiam Tyrannorum Græcorum*, *Colonias Romanas*, *Historiam*
XXX. Tyrannorum Seculi tertii, *Migrations Gothicas*, *Svevicas*,
Hunnicas, *Alanicas*, *Saronicas*, *Vandalicas*, *Francicas*, *Herulicas*
& *Longobardicas*, *Regna Germaniæ antiquæ*, *Origines urbium Germa-*
nicarum, *Historiam Mathildis*, *Crescentii*, *Guelphorum & Gibellinorum*,
Urbes Imperii abalienatas, *Factiones Ursinorum & Columnarum*, *Origines*
Rerumpublicarum Italiæ, *Dissertationes de Foedere Suevico*, *Sigis-*
mundo Austrio, & *Carolo*, *Pugnace*.

XIX.

HISTORIA GENTIVM RARIORVM.

Continet *Annales Roxolanorum*, *Bastannarum*, *Tauricorum*,
Gepidarum, *Bulgarorum*, *Herulorum*, *Vallachorum*, *Moldavorum*,
Dalmatarum, *Croatarum* & *Cosakorum*.

XX.

MAGNI CONATUS.

IN his Conjunctiones marium, fœdera Amphictyonia, Conciliationes Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, & alii conatus magni Babelicæ turris fata experti recensentur.

XXI.

NOTITIA MAGNA DIGNITATVM.

Veras origines dignitatum illustrium, *Ducum, Palatinorum, Marchionum, Landgraviorum, Burggraviorum, & Comitum*, ex ultima Germania ad præsentem usque statum, ac Regni *Italici, Austrasici & Provincialis* rudera edisserit. Accedit Tractatus de *officiis & dignitatibus hereditariis illustrium*.

XXII.

IDEÆ HISTORICÆ.

Ignorato cujuslibet ætatis genio, fieri non potuit, quin Historici ad suorum temporum rationes eum metientes multa, fabulosa & inepta in Historiam inferrent, igitur hoc opere ideam, sive *genium* cujuslibet *Seculi*, v. gr. Carolini, in sacris civilibus & literariis, denique etiam domesticis & privatis trado, atque Tabulas Geographicas isti solum seculo adaptatas addo.

XXIII.

DECIMÆ CRITICÆ.

Capita Criticæ artis rariora, e. g. *Dissertationes de Palilogia, Versibus Politicis, Castratione Auctorum, pietate Critica, & consimilia* multa complectuntur.

XXIV.

COLUTHUS LUCOPOLITA.

HUic Poëtæ Græco rariori, de raptu Helenæ commentanti, cum *Scholiis Græcis*, multis locis emendato edendoque, *Le-*
ctio-

Etiones varias, ex diversis Codicibus, Observationes Philologicas, Glossarium Coluthianum & alia. Denique dissertationem de CLII. belli Trojani scriptoribus adjeci.

XXV.

TOMI III. APOCRYPHORVM SACRORVM.

Scripta Ecclesiastica fabulosa ac supposita continent, & quidem Tomo I. *Biblica*, Testamentum XII. Patriarcharum, Psalmum CLI. Appendicem Jobi, Præfationem Threnorum, Evangelia & Apocalypses pictas: Tomo II. *Publica* Liturgias Canones & acta supposita: Tomo III. *Privata*, Epistolas & similia.

XXVI.

FRAGMENTORVM TOMI IV.

Tomo primo Græca, secundo Latina ex libris publicis, Pontificalibus, Auguralibus &c. tertio ex scriptis Imperatorum Romanorum, & quarto ex libris privatis, quæ alii nondum collegerunt, recensio.

XXVII.

GEOGRAPHIA MEDIA.

Quam hæctenus omnes veteris & novæ satis studiosi omiserunt, eam ad intelligendos mediæ ævi Historicos magno opere necessariam expono, Tabulis etiam Geographicis rarioribus, v. g. Regni *Austrasici, Lothariensis, Burgundici, Frisie veteris, Illyrici occidentalis* &c. appositis.

XXVIII.

RACEMATIONES GEOGRAPHICÆ.


Quædam rariora Geographica, v. g. Dissertationes de *Ostis fluminum, Lesbica, Lemnica Geographiam Polorum*, descriptionem *Agrigenti* & similia proponit.

B 3

XXIX.

Zc 4357 OK

XL



XXIX.

LEXICON PHILOSOPHIAE MYSTICAE.

CUm illud Philosophiae genus ob ignorationem vocabulorum, quibus auctores Mystici utuntur valde anfractuofum & difficile fit, collegi terminos technicos & phrasas obscuriores, ex Platone & Platoniceis, Paracelfo, Agrippa, Heimontio, M. Marci & aliis, qui Philosophiam Mysticam, Enthusiasticam & Magicam docuerunt, earundemque originem, vim, homonymiam & synonymiam explicavi.

XXX.


LEXICON ELEGANTIORIS LITERATURAE.

HOc opus ordine Alphabetico, ex libellis infinitum elegantiarum literariarum numerum continentibus, *Scaligeranis primis & secundis, Thuanis, Perronianis, Sorberianis, Menagianis, Vallesianis & Fureterianis* in Latinum sermonem translatis, coagmentatum VIII. Ordinibus constat. In primo Theologica, Juridica, Medica, Historica, Philosophica & Philologica, in secundo Graeca, in tertio Orientalia, in quarto loca S. Scripturae illustrata, in quinto loca auctorum classicorum emendata, in sexto Gallica, Italica & Hispanica, ac Germanica, in septimo facetiae, in octavo, Poemata elegantiora recentium vatum proferuntur. Accedunt *Melanchthoniana & Daumiana* consimili methodo elaborata.

XXXI.

PARADOXA SECVLI XVI & XVII.

Cum novis & paradoxis opinionibus omnia nunc scateant, eas *privatas* maxime *Doctorum* sententias ex rarioribus ipsorum libris collegi, rationes quibus nituntur elocutus sum & refutavi.



VON 7









QK.255

ARCA
LITER

XXX L

MYSIS CO.

V. E. LOES



KODAK Color Control Patches

Kodak LICENSED PRODUCT

3/Color Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches Centimetres